Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26489
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sentio · nisi in bonis amicitiam esse nō posse · Neq: id ad uiuum resecco ut illi q hoc subtilius disserunt · fortasse uere · sed ad cōmunem utilitatem parum Negant enim esse quemq uirum bonū nisi sapientem · sit ita sane · sed eam sapientiam interpretantur · quam adhuc mortalis nemo est consecutus · Nos autem ea que sunt in usu · uitaq: comuni · non ea que fingunt aut optantur sperare debemus

Nunq ego dicam Gaium Fabritium · M · Curium · T · Coruncanium · quos sapientes uiri maiores iudicabant · ad istorum normam fuisse sapientes · Quare sibi habeant sapientie nomen · & inuidiosum & obscurum · concedant tantū ut uiri boni fuerint · neq: id quidem facient · negabunt id nisi sapienti posse concedi · Agamus igit ut aiunt pigui minerua · q ita se gerunt ita uiuunt · ut eorum probet fides integritas · equalitas · liberalitas nec sit in eis ulla libido uel cupiditas uel audacia